

quenter percurrit in una horâ quælibet Stella *Æquatoris* 55000 semidiametros Terræ, vel 47300000 milliarum germanica, & in quolibet minuto 916 $\frac{2}{3}$ semidiam. Terræ, vel 788333 $\frac{1}{3}$ milliarum; quolibet autem secundo seu momento 15 $\frac{1}{4}$ semidiam. Terræ, seu 13138 milliarum germanica. Sed dicto

cap. 7. no. 18. ponit, stellam in unâ horâ percurrere 549500 semidiam. Terræ, & uno minuto 9158, uno secundo verò 152 semidiam. Terræ, id est, 130720 mill. germ. Ubi tamen videtur errorem calculi commisisse & semper unam ziphram in fine superfluum apposuisse.

CAPUT XXVII.

De Stellarum Fixarum Altitudine seu Distantia à Terra secundum Tythonicos.

Sunt alii, qui cum *Tycho Brabæo* lib. 1. *progymnasm.* pag. 481 volunt, *Stellas Fixas* non ad eam à Terrâ abesse, sed saltem 14000 semidiametros Terræ distare; Cui sententiæ quoque *Longomontanus* & alii subscribunt. Atque sic in hac distantia distaret sphaera Stellarum à Terra 12040000 milliar. germ. unde circulus magnus Cœli Stellati haberet semidiametros Terræ 88000 seu milliarum germanica 75680000: & motus horarius Fixarum prope *Æquatoris* fixarum, conficeret singulis horis milliarum 3153333, & quælibet in *Æquatore* Stella unicâ sexagesimâ parte horæ 52555 milliarum, unico autem minuto secundo (hoc est parte horæ 3600, quæ instar momenti est) 875 milliar. germ. transvolare necesse haberet.

Tythonica mensura caret fundamento.

Verum enim verò, quia hæc *Tythonica* mensura, nullis geometricis fundamentis demonstrata, ergò magis ex positione incerti pro certo orta est; Cum enim *Tycho* Saturnum 12340 semidiametros Terræ in maxima ejus distantia abesse statuit, forsitan ex præsumptione stellis Fixis 14000 semidiametros Terræ attribuit. Distantia autem Fixarum tam exigua non est, dum nemo ullam Superiorum Planetarum Parallaxin: multò minus Fixarum, ex Terræ semidiametro demonstrare potest; unde neque *Alphragani* 45225 semidiametri ad altitudinem unius stellæ sufficiunt. Nam si, ex. gr. Fixæ paterentur tantummodo parallaxin duorum secundorum? esset earum distantia à centro Terræ, 103448 semidiametrorum Terræ: &

quando haberent parallaxin unius tantum secundi, esset earum distantia 268965 semidiam. Terræ, sive 231309900 milliar. germ. uti calculo producit, præcedenti cap. allegatus *Claramons dict.* pag. 139. (quanquam aliter *Ricciolus* in præcedenti cap. calculum duxerit.)

Cùm autem Stellæ nullam agnoscant Parallaxin, sequitur *Tythonicorum* datam stellarum altitudinem omninò falsam esse. Hæc dum sensit *Pat. Anthonius Maria Schyrlæus*, *Tythonis* quidem Sectator, putavit in lib. suo, qui inscribitur *Oculus Enoch & Eliæ sol.* 194, distantiam Fixarum convenientius ex subsequenti suâ assumptâ proportionem indagare.

P. Anton. Maria calculus.

(1) Ponit Solis diametrum decies majorem Terræ diametro, id est in proportionem ut 1 ad 10, seu ut 10 ad 100; idque simul ex Tab. Sinuum demonstrare nititur, dum Solis disci diametrum statuit in media ejus (sic dicta) distantia. Verno tempore, 34 41', quibus ex tab. sinuum, partium 10000, competunt 100, quas pro radice quadrata distantiae Solis 1000: Terræ verò partes 10, pro radice cubica ipsius distantiae, in diametris terrestribus 10000 assumit. Cum autem 10, ex tab. sin. competant 3 min. 24 sec: seu fere 3-30', concludit Terræ diametrum de gradibus *Eclipticæ* continere 3-30', ejus semidiametrum verò 1-45', tot scil. minuta & secunda, quot tres etiam Planetæ superiores suorum priorum orbium secundum ejus sententiam continent.

(2) Est, in illius sententia, quadratum ex Solis diametro, distantia Terræ

rae